



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica tertia

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Petit voluntatem, & iudicium sibi offerri in victimam : Sed ô ingratitude ! omnia ei negamus. Reddimus potius pro bono malum, pro virtute peccatum.

Instructio meritoria.

Impugnemus impugnantes nos, & passioni, quâ vehementius infestamur, in honorem septem Gaudiorum Beatissimæ Virginis opponamus septem actus contrarios cum Psalmo ter repetendo : *Deus misereatur nostri, & benedicat nobis &c.* Hostis cadit resistentiâ alterius.

Dominica III. post Pascha.

EXHORTATIUNCULA I.

Vult Christus Jesus, ut gaudia fallacis sæculi penitus mittamus, & cum Ipso in solis tribulationibus, temptationibus, & adversitatibus gaudeamus. O fili! nõne durum, & asperum hoc mandatum est? oportet tamen implere, si & ipse cupiat cum Jesu æternum lætari in cœlis.

Instructio meritoria.

Obvias Cruces, & ærumnas hodie accipia-

cipia-

cipiamus de manu Dei gratias agentes, & dicentes : *Quam bonus Israël Deus his, qui recto sunt corde.* Et ut inter adversa semper gaudeamus, & contristemur nunquam, in venerationem 7. gaudiorum B. V. M. recitemus hodie *Cursum Marianum.* Maria in gaudio : Cur tristis est anima tua?

II.

Modicum & non videbitis me. Magna veritas! profectò modici & breves sunt dies hominis, & tota ejus vita quid aliud nisi breve modicum, quò homo vivit, videt, & videtur. Sed paulò post inveniemus eum in tumulo. Sic in ictu oculi clauduntur omnia. Fili! ut quid ergò transitoriiis, momentaneis immergimur?

Instructio meritoria.

Legamus ante somnum adhuc aliquid de morte, & sequetur suavissima nox. Mortis memoriam ut in sensibus nutriamus, oremus illum Lessum : *Dies ira, dies illa &c.* cum Psalmo *Miserere.* Beatus, quem si venerit Dominus, invenerit vigilantem.

III. Fi-

III.

Fili! modicum est in comparatione cum coelo, & æternitate, quidquid possidet mundus. Et hęc modicõ multi sibi emere solent cœlum cum Deo; at plures (& quæ hæc infania?) misérias sibi comparant perpetuas; quia pro Deo & coelo sibi eligunt mundi, & vanitatum stercora. Nos quid statuimus? si sapimus, Deum cum coelo.

Instructio meritoria.

Suspiciamus igitur patriam supernam cum suspirio: *O quam sordet mihi terra, dum cœlum aspicio.* Et ut crescamus piis desideriis erga Deum, & nostram in cœlis quondam obtinendam gloriam, trinam instituamus Visitationem ad templum, & Ecclesiam, ubi quàm devotissimè persolvamus Psalmum: *Quàm dilecta tabernacula tua Domine Deus virtutum &c.* O Jesu! bonum est ibi esse; faciamus nobis tria tabernacula.

Do-